

Oblatū ubi facit
nos ferim⁹ & nūmā
comūth: ea familiis tuis lūtū
vñcēnbi cōspicuum mūn⁹
acūmā pccatōz: arlānctōz
mōrū tūcēcēntib⁹ mērūz:
qđ om̄ib⁹ mērēntir qđ
tūqđib⁹ h̄ber qđ om̄ib⁹
Ep̄la. R̄at̄es qđ p̄t̄e qđ
fol. dñi 725. L̄ot̄ionis b̄c̄us.
Elliđia. x. ſuſi aut̄. Euanđ.
Zecēnbiens icl̄is. vñd. L̄um
p̄t̄edēcēt̄. R̄m. Al̄ib̄ilis
p̄t̄edēcēt̄. R̄m. Al̄ib̄ilis
tūm nāt̄alida rēcen̄t̄es of̄e
tūm qđam lānt̄ozum tūo
bōmīc qđam lānt̄ozum tūo
tūm nāt̄alida rēcen̄t̄es of̄e
tūm qđam lānt̄ozum tūo
p̄t̄edēcēt̄. R̄m. Al̄ib̄ilis
p̄t̄edēcēt̄. R̄m. Al̄ib̄ilis
vñd. ſuſi aut̄. Euanđ.
Zecēnbiens icl̄is. vñd. L̄um
p̄t̄edēcēt̄. R̄m. Al̄ib̄ilis
p̄t̄edēcēt̄. R̄m. Al̄ib̄ilis
vñd. ſuſi aut̄. Euanđ.
Deuſus qui noſt̄
h̄lly. ſuſis p̄p̄al⁹
S̄iep̄ban p̄p̄et̄
d̄uog p̄oſhādo lo
participatioſe rēce
d̄uon̄ in emōziam
qđim⁹ om̄ipotē
p̄iam⁹. **S**ila con
gerim⁹: certa rēbe
noſterz: vt qđnoſ p̄ia
mīne qđefim⁹ qđ
p̄ecđoy ſangim⁹
L̄om̄p̄lenqđ. O. op̄.
T̄erēt̄io de qđp̄t̄u
t̄būm gr̄elat ⁊ ḡat̄
tr̄actam⁹: qđubus n
mātr̄i qđonoſe qđ
Q̄ oſta qđom̄ne n̄j
nos ferim⁹ & nūmā
comūth: ea familiis tuis lūtū
vñcēnbi cōspicuum mūn⁹
acūmā pccatōz: arlānctōz
mōrū tūcēcēntib⁹ mērūz:
qđ om̄ib⁹ mērēntir qđ
tūqđib⁹ h̄ber qđ om̄ib⁹
Ep̄la. R̄at̄es qđ p̄t̄e qđ
fol. dñi 725. L̄ot̄ionis b̄c̄us.
Elliđia. x. ſuſi aut̄. Euanđ.
Zecēnbiens icl̄is. vñd. L̄um
p̄t̄edēcēt̄. R̄m. Al̄ib̄ilis
p̄t̄edēcēt̄. R̄m. Al̄ib̄ilis
vñd. ſuſi aut̄. Euanđ.
De ap̄olloſ. **L**oſſita.
Thūnclā. p̄erōm̄ k̄yndellō.
H̄o vñcēla lānt̄a p̄cm̄ oſt̄.
W̄t̄a oſt̄erā comp̄leant̄. p̄.
t̄cēt̄ ⁊ vñda noſterā pur̄gen̄t̄: ⁊
būm̄ ſoum̄e op̄eratioſe my
T̄būn̄t̄ ſoum̄e ſoum̄e.
T̄būn̄t̄ ſoum̄e ſoum̄e.
T̄būn̄t̄ ſoum̄e ſoum̄e.
T̄būn̄t̄ ſoum̄e ſoum̄e.

DB. 9.

DB. 9.

Eus qui scitis tuis abdon
Evangelium.



XVII

23

ORATIO

DE DISSONANTIA
HARMONIAE PHILIPPO-
RAMEAE in Logicis,

Habita conventu solenni ad declarandos

Opt. Art. Magistros, Vigintisex,
indicto, in Academia
LIPSIENSIS,

VVOLFGANGO CORVINO Med.

Lic. & Artis differendi profess.
Publico,

Cum iterum vicem gereret Cancellarij.

IV. Cal. Febr. Anno
M. DC. VII.



LIPSIAE

Ex Officina typogr. Abrahami Lamberti.

63

23

Pietate, erudita doctrina, re-
rum usu, & virtutis laude
viro eximio

Dn. IACOBO ZENNERO,
Electori Saxoniae

CHRISTIANO II.

à secretis fidelissimo,
singulari observantiae studio

D. D.

AUTOR.



ORATIO.

Ntermittere me non sinit
pietas, quin almæ huic studiorum ma-
tri Academæ, cui nō obligatum esse
ultra fateor, in philosophici hujus so-
lennis actus vestibulo ex animo gratu-
ler de copiosa illa doctissimorum vi-
rorum messe, quam superiori anno ex omnibus penè
facultatibus superioribus tanquam ex agro quodam
fertili collegit reportavitq;. Cum enim in statutis hu-
jus academæ admodum laudabiliter cautum sit, ut
sensim & gradatim ad summos honores in superiori-
bus facultatibus perveniat, eademq; de causa pro-
motiones apud nos sint rariores, fato quodam singu-
lari puto factum esse, quòd non ita pridem duo in di-
versis facultatibus, theologicâ scilicet & medicâ cele-
brati fuerint actus doctorales, ac si recte auguror, vix
unum & alterum elabetur trimestre, quando insuper
doctoralis licentia in jure publicè conferetur qui-
busdam viris in illo studio apprimè versatis, ubi, qui
jam ex præsentibus candidatis est primus, DEO cona-
tus ejus fortunante, forsitan ibi non erit postremus:
Quæ certo indicio sunt, florere adhuc apud nos & di-
ligenter excoli omnis generis disciplinas: idq; ut in
posterum etiam fiat, ardentibus votis à DEO præpo-
tente est petendum. Non minorem verò haec tenus
experta est singulari DEI gratia felicitatem inclyta
communitas nostra philosophica. Nondum enim
integrum annum excurrisse nostis auditores hono-

A 2 ratissimi,

2 ORATIO.

ratissimi, cum in theatram hoc publicum à me, tunc
sorte tam ad examen quam renunciationem electo,
producerentur non pauci adolescentes eruditi, qui
prima tunc in philosophia laurea condecorabam-
tur, quorum sanè copiam, utpote, in tanto philoso-
phicorū honorū hujus seculi fastidio, multos memi-
ni non sine aggratulatione academica admirari.
Nunc iterum, quod DEVS misericors feliciter eveni-
re jubeat, paulò majorem cœtum in hunc confessum
publicum produci conspicitis adolescentum, viro-
rumq; juvenum per doctorum, non quidem primam
sed summam in philosophia lauream ambientiū, qua
quidē paulò post donabūtur universi ac singuli à spe-
cata dignitatis ac cruditionis viro Dn Decano, post-
quam priùs ejusdem dignitati, vigore inumeris mihi
benignissimè delegati, hoc ipsum expediendi poten-
tas à me facta fuerit. Quæ sanè ardua provincia cum
non sorte coecâ, sed legitima serie hactenus observata
nunc mihi denuò obtigerit, accesseritq; insuper clem-
entissima hujus muneris delegatio, utiq; decere
me arbitror, ut & quæ mearum partium sunt, submis-
se & fideliter exequar, omniq; ex parte provideam, ut
candidati hi voti sui compotes reddātur: Quo nomi-
ne etiam indicta est hodierna solennis festivitas. Neq;
immerit.

Necessitas
panegyrun

Simile à re
militari.

Solent enim & imperatores bellici interdum mi-
litibus suis strenuis, præsertim verò re bene laudabi-
literq; gesta, ferias quafdam concedere, ut animos af-
fiduis militiae conflictibus defatigatos aliquantū re-
laxare, laboresq; residuos faciliter perferre possint. Non
ergò iniquum est, in scholastica hac militia solennes
quando-



quandoq; ferias institui, in quibus non tam laborum quoddam levamen, quam feliciter exantlatorū præmium decernatur sub Musarum vexillo diu ac feliciter stipendia facere solitis. Ac sanè tanto magis in umbratili hac militia hoc fieri debere existimo, quanto minore periculo huic vacare licet, cum interim sèpè ibi unius diei serenioris hilaritas multorum secum aferat duram miseriam. Taceo nunc, quod horum lætitia non exigua cum sollicitudine sit conjuncta, dum in horarum penè momenta hostium truculentorum pertimescere coguntur impressiones immanes, quorum nullum in scholastica hujusmodi festivitate metuendum est, utpote qua sollicitudinis omnis expers non unum saltē aut alterum diem, sed per totum vitæ decursum suos exhibaret, si modò prateritorum laborum memoria semper est jucunda. Nec enim hujusmodi festivitas ipsos spectatores saltē oblectat, sed etiam ip̄si candidati hujusmodi honoribus ceu calcaribus quibusdā instigati, sicuti haec tenus ex juvenili quodam errore non omnibus satisfecerunt, in posterum satisfacere conantur, feliciter urgendo cursum à se laudabiliter coepit. Non enim existimandum est, hosce Magisterij honores attribui veluti defectoribus q̄inbutdam ac cen rudiarijs militibus, qui philosophicis studijs posthac nunciū mittat, sed certò statuantur, hasce declarationes publicas & solennes esse testimonja cùm diligenter in studijs navatae operæ: tum vero haud fallacis de candidatis conceptæ spei hujusmodi studia majore dexteritate & solertia constanter excolēdi. Quade cauta etiā in hujusmodi conventibus sapienter a majoribus cautum est, ut ab

A 3 ijs qui

Collatio
atriusq; fe
stivitatis.

Scopus ti-
tularum
scholasticō
cum.

ORATIO.

4

Propositi.

Ratio con-
silij.

ijs qui hisce actibus præsunt verba prolixiora siant,
 quibus partim candidati ad metam, quam sibi præsi-
 xerunt recto tramite percurrere jubentur: partim ve-
 rò reliqui studiosissimi adolescentes, ut simili modo
 ad virtutis & laudis fastigium tendant, inflammantur
 aut aliás de utili quadam materia institutuntur. Inter
 hujusmodi autem materias delectum meo loco insti-
 tuens, aliamq; cum alia conferens, quæ quidem huic
 loco non esset incongrua, fateor me non pauca de-
 prehendisse de quibus in hoc confessu non intempe-
 sive dici posset: Quia tamen non levibus indicijs ob-
 servare potui, antecessoribus nostris hujusmodi in ca-
 sibus hoc in usu fuisse, ut à sua professione materias
 non admodum remotas consiliorē selegerint, ed mi-
 nus mihi ab eo more hoc tempore recedendum esse
 putavi, quod majores affuerūt quæ me, ut hoc non in-
 termittere, impulerunt causæ. Etenim nulli auditio-
 rum obscurū esse potest, vix in illa philosophiæ parte
 quotannis plures divulgari commentarios quam de
 arte logica: Quod quidem studium tantum abest, ut
 improbē, ut potius collaudandos esse censeam, quot
 quot non intermittunt, quod ad hujus artis ea po-
 mœria proferenda plurimum habere momenti exi-
 stimant, ipsiq; arti logicae gratuler, eam præ reliquis
 tam accurate à pleriq; excoli.

Vnum est, quod in neotericis hujus artis, ut vide-
 ri volunt, patronis summopere mihi, si non licet *inno-*
nopis etiā displicer, quodq; ferendum non esse, omni-
 no mecum omnes gentinæ logicæ cultores statuere
 certò scio, quod inter alia in novis hisce commenta-
 rijs summis viribus demonstrare conantur sumnum

Domi-

ORATIO.

5

Domini Philippi in præceptis logicis tradendis cum P. Ramo esse consensum, atq; utriusq; præcepta in scholis utiliter conjungi posse, ita quidem ut Ramum veluti ducem, D. Philippum verò ceu comitem fidelissimum studiosa juventus sequatur, imò asserere non erubescunt, Philippum & cum sua scriberet, Rami præcepta & ordinem approbasce, & nunc si vive-ret, approbatum esse.

Atq; hinc sunt illæ Rami discipulorum lucubrations recentes, quorum quidam harmoniam Philippo-Rameam, alijs Philippo-Ramum in vulgus emittere, nonnulli exegesin utriusq; hujus Logici instituere: omnes verò, si Philippo Ramum in hoc genere non præponere, saltem utriusq; in scholis autoritatem ex æquare voluerunt, quorum hominum opinio eò fortius est impugnanda, apertiusq; ejus falsitas detegenda, quò magis directa esse videtur ad P. Rami nomen amplificandum, Philippi verò & Aristotelis, cuius ille filium secutus est, obscurandum. Titubantem autem me in hujus laboris aggressu, quod non dissimulo, diu detinuerunt hinc malevolorum acies, illinc religiosa veritas, quorum hæc nullo modo deserenda: Illorum verò voces non remerè contemnæ, triplici forsitan nomine hoc meum institutum improbantium, & quod non rogatus, me veluti arbitrium inter hos præclarè doctos viros constitnam, & quod patronum me D. Philippo offeram, quodq; nihil sim hac mea oratione profecturus ob adversæ partis asseclas inumeros, quorum aures ad hujusmodi admonitiones non minus quam Nili accolaram ad cataractas & strepitum aquarum jam dudum ob-

furdū.

Busch. in
præfatione
harmonie.
Id minima præ
fatione so
lutionis
sophismata
tum.

Adversa
tiva.

6 ORATIO.

Collatio
Philippi &
Rami.

furduerunt. Hæc & hisce similia me diu sollicitum tenuisse non diffiteor, non deest tamen mihi quod ad singula regeram: Tantum enim abest ut me arbitrum interponam, ut potius summè eruditum pronunciem utrumq; in ijsq; dona haud vulgaria veneret, hoc tamen addiro discrimine, ut Ramo sius inter oratores & Mathematicos locus, quem industria sua singulari sibi invenit, debitus relinquatur, quem etiam in utroq; hoc studiorum genere excelluisse affero: eoz nomine à studiosis sedulò evolvi debere suadeo: Ut verò Melanchthon vel huic vel alii cuivis æquiparetur, id salva æquitate fieri nō posse statuo. Nemo enim in una arte & disciplina tantum præstigit, quantum ipse solus in omnibus artibus & linguis, qua de causa factum est, ut licet ejus scripta divertiarum factiōnum machinationibus fuerint impulsæ, convulsa tamen nondum fuerint, sed omnium doctiorū puncta haec tenus tulerint, ut pote magna solertia nec minore judicio confecta: Cum interim aliorum labores & opera thuris piperisq; cullos induerint, unde etiam mei aut alterius patrocinij nihil magis indiget, quam pluviarum Oceanus, immò firmiter mihi persuadeo, nullam posteritatem, quantula ista futura est, tam fore cæcam, quæ laborem ejus fructuosissimum non sit perceptura, nullam tam ingratam, quæ eum non sit reverenter oculatura, nullam tam mutā, quæ eundem non sit deprædicatura. Licet deniq; nieo loco facile pati possim, ut quisq; Ramum alijs logicis præferat suo fensi abundans, licet & hoc tenui hac mea oratione efficere non posse sciam, ut hujus statonis praesidia in posterum deserant adversarij: Ideo tamen

tamen non planè manus sunt abhiciendæ, sicuti nec
navis destituenda est in tempestate, etiam si ventos
inhibere non possis: quin potius in adversarios tan-
quam ferrum stylus stringendus est, & pro veritate
fortiter dimicandum, cuius asperrenda & animis studi-
osorum instillanda gratia hoc, quicquid est laboris,
ed libertius suscepisti, quod magis putavi mecum partium
esse; providere, ut D. Philippi Logica, cuius ex-
plicatio publicè mihi est commissa, ab hac Ramistici
consensu inaudita suspicione quam primum libe-
retur, quod fiet, si de dissonantia harmonie Philippo-
Ramia in Logieis paucis disseruero. Ed autem at-
tentius confido me in hoc frequentissimo confessu
auditum iri, quod promptius norunt plerique auditores,
etiam ab ipso Cicerone hujusmodi perorandi mo-
dum vehementer commendari, ac sanè non immer-
to. Neq; enim quicquam est, quod acrius expendere
vim rerum intueri, doceat, quam comparatio, quid
enim non crevit aut minuitur cum alio collatum?

Nam & nativæ gemmæ adulterinis oppositæ ex-
plorataeque pluris fiunt & hominibus acceptiores. Dum
itaque pro demonstranda hac evidenti dissonantia
summa quedam capita ex utriusque Logica parcâ fal-
ce demeto, atque sic purpuram juxta purpuram, quod
vulgò dicitur, dijudico, quælo M.D.R. reverenda dig-
nitate, amplitudine, excellentia, spectabilitate & hu-
manitate viri conspicui, ceteraque omnes, quotquot ad-
estis, tam peregrini quam indigenæ, hospites honora-
tissimi, vosque adolescentes nobilissimi studiosissimique;
sicuti facere instituistis, benevolas mihi præbere aures
non dedignemini.

B Princi-

Scopus
presentis
instituti.

Laus col-
lationum.

Lauda
har-
monie
Musicæ.

Molesta
dissonantia
1.
In sensibus.

Principio constat, nihil amabilius nihil jucundius homini non planè agresti aut *āusōs* contingere posse, quām si sēpē percipere ipsi liceat harmoniam & concentum musicum. Hujus enim tanta vis est, ut non solum mores hominis immutet, mentem ad se rapiat, & quibusdam quasi vinculis constituti retinere valeat, sed etiam, ut se hujus beneficio ex miserijs & calamitatibus, quibus sēpē numero obruitur, quodammodo avocet, hinc omnibus & studijs & sexibus & ætatibus est oportuna & accommodata: hinc nulla natio, nullaq; gens est tam barbara, quin artificio concentu commoveatur. Quanquam quid dicam de hominibus? Quis enim nescit, quid memorie proditum sit de Orpheo & Lino, quorum cantu pecudes, feras, aves, immō montes, sylvas & saxa commota fuisse tradunt? Adeò nihil est penitus in omni rerum universitate, quod ab harmonico quodam concentu alienū esse videatur, quidquid, cum magni illius, tū minoris hujus mundi, puta hominis, fabrica in mera harmonia consistat. Si ergo tam amabile tamq; jucundum bonū est harmonia, utiq; facile colligitur, admodum odiosum & inimicum quid esse humanæ naturæ dissonantiā, si modò verum est, quod Philosophus pluribus in locis inculcat, præstantiori bono pejus malum opponi, si etiam verum est, vita degenerare rationem non tantum honestam sed etiam jucundam esse debere, hinc nemo nostrum est, qui non cū summo fastidio audiat vel musicam dissonantiam aut alium quendam sonum inconditū. Si itaq; tale quid cōtingit in externis nostris sensibus, quid fieri existimabimus, quando quid absonum menti nostræ & intellectui

telle cui oblatum fuerit? Verisimile certè est, hujusmodi dissontantia intellectum tantò magis laedi, quātò majora sunt corporis malis & affectibus animi mala. Hic enim non externus quidam sensus solus ad tempus laeditur. Sed omnis internus discursus totusq; intellectus falsis opinionib; perpetuò obruitur. Utq; id ipsum liquid jūs appareat, liber id experiri in proposito paradoxo à nonnullis nuper in scholarum theatrium produc̄to, quo assentitur D. Philippi præcepta cum Rami præceptis logicis summa societate & scopo esse copulata, pro quo obtinendo omnes σεφας sibi in auxilium conducendas putarunt, quam sententiam tunc veritati adeoq; ipsi rei congruam esse dicam, si Petrum Ramū eadem planè, nec plura pauciora've præcepta logica cum D. Philippo tradidisse, eundem ordinem in præceptis observasse, eademq; dexteritate, qua Philippus usus est, præcepta illustrasse, ad oculum evicerint, id quod tunc præstabūt, quādo natalitium Christi festum celebrabunt Iudæi occidentissimi. Vbi, etiamsi diversum sentiam, planè mihi persuadeo, me contrariæ sententiæ patronis nullam facere injuriam. Nam & ipsi aliorum sententiam non sequentes, nemini injuriam facere videri volant: quod an recte sibi imaginentur, agite brevissime perpendamus initio ordinem præceptorum in utroq;. Sicut autem Philosophus suum organum deduxit ex resolutione syllogismi tanquam interī finis in duas partes tam propinquas quam remotas, hoc modo ordiens à categorijs suum organum tanquam à terminorum simplicium domicilijs: Ita Dn. Philippus omnia sua præcepta direxit ad objecti logici tra-

2.
In intellectu.

Præsentis
dissontantia
membra.

Ordo præ-
ceptorum
in Philippo

rationem, quod cum sit quæstio, de qua doceri possint homines, hæc verò duplex sit, una simplex, alia conjuncta, illi ex quatuor officijs dialectici duo priora assignat, definitionē nempe & divisionē: Cumq; definitionis membra non aliunde hauriri possint, quā ex prædicamentis: Omne verò definitum ute pote angusti⁹ per communius declaretur: Vtq; singulari studio præmittere voluit doctrinam prædicabilium, indicantem quæ vocabula alijs sint angustiora, quæ cō muniora: Hæc verò, quæstio scilicet conjuncta, cum aliter tractari nequeat, quām confirmando aut refutando, idq; vel per syllogismum, vel aliam argumētationis speciem expediatur, in unaquaq; verò, præser tim autem in syllogismo, tam forma quām materia sit perpendenda, utiq; singulari quadam dexteritate, prius tamen præmissis ijs, quæ ad propositionis natu ram & essentiam seorsim pertinent, rationem aperit, quomodo syllogism⁹ quivis nō tam secundū formam quām secundū materiam confici, consecutusq; legitimè secundū utrumq; examinari debeat, quorum prius in tertio & quarto libro: Posterius verò hoc, in appendice de fallacijs felicissimè præstitit.

Cognovistis, auditores leđissimi, ordinem in præceptis singulari consilio à Philippo observatum. Agite ergò videamus, an & quando Ram⁹ in concriben da sua logica hunc ordinem sequatur, quem quidem brevissimè subjiciemus, judicium de utriusq; harmonia huic auditorio politissimo commissuri. Ac primū quidē etiam à definitione. Dialectices sua præcepta orditur, verūm mox tantū animadvertisit utrobiq; in ordine discrimen, ut mirari satis nequeam, quidnā
hujus

in Ram⁹.

ORATIO.

II

hujus paradoxi autores ad talem harmoniam fingen-
dam permoverit. Licet enim, ne omnia ad vivum re-
secare videar, aut à præsentī instituto longius avocer,
non vehementer jam improbare vefim, quod vetus
illa dialectices divisio definitioni statim subjiciatur,
attamē neq; in intellectu illius divisionis, neq; in per-
tratione partium ejusdem, Ramus Philippum ha-
bet ὄμοψυχον. Hic enim per judicatricem intelligit eā
Dialectices partem, quæ, ut verba ejus habent, disser-
nit voces, judicat quānam recte connectantur, quæ
non recte jungantur, quæ item format judicium de
consecutione in syllogismis. Itaq; prædicabilia & pre-
dicamenta à Philippo parti judicatrici subiecti certū
est. Ramo verò inventrix & cognoscit & discernit sim-
plicia, & simul invenit mediū ratiocinationis. Iudica-
trix verò ipsi sum componit simplicia inter se: Tum
eriam plures propositiones connexas, immo integros
tractatus dijudicat: Vbi quis vestrū non videt, in ver-
bis saltem, non autem in re & sententia hos autores
convenire. Iam verò etiam cōtra adductū modū à
Philippo ordinem & contra rei naturam. Ramus in-
ventionem judicatrici præponit, ubi jam non discu-
tiam, an hæc divisio Logices sit genuina, (tale quid e-
nim inter enarrandum admoneri solet,) hoc saltem
mirari satishæc tenus non posui, quod Ram. in collo-
catione harum partiū à natura rei tractandæ sine cau-
sa discesserit: Cum enim inventio mediū necessariò
præsupponat judicium & notitiam conclusionis, ut-
pote à cuius partibus ducenda sint media, conclusio
autem sit propositio vel axioma, utiq; neceſſarium
esse sensus communis indicat, de propositione prius

Dissentient
in divisi-
onis dia-

^{1.}
Intellectu.

^{2.}
In pertra-
tatione.

Judicium
præcedit
inven-
tiō-

B 3 esse

ORATIO.

12

esset docendum, quām de argumenti inventione, id
quod accurate observavit Dñ. Philippus, ejus verò
contrarium fit in p̄ceptis Rani. Ad hēc, cum null⁹
locus Dialecticus in usū transferri possit absq; argu-
mentatione, neq; enim si probare cupis, an senectus
verbi gratia sit morbus, quicquam concludere potes,
nisi argumento à definitione ducto p̄dicati defini-
tionem subiecto non competere ostenderis, & quidē
syllogismo primæ & secundæ figuræ sic incluso: Omnis
morb⁹ est affectus p̄t̄ naturam. Senectus non est
affectus p̄t̄ naturam. Ergo senectus non est mor-
bus. Item: Nulla affectio naturalis est morb⁹. Actas est
affectio naturalis, ergo non est morbus, & per conse-
quens nec senectus. Cum inquām citra argumenta-
tionem nullus locus in usum transferri possit, non vi-
deo, quomodo ullus tyronum locos inventionis re-
det & utiliter tractare queat, qui in indicatrice parte
prius non probè fuerit institutus. Copia quidem me-
diorum forsitan si res bene ceciderit abundantib;, verū
ad argumentandum non magis aptus erit quām as-
nus ad lyram, uti enim locis nesciet, propterea quōd
dispositionis terminorum in syllogismo cognitionē
nullam habeat, hinc etiam medium ad extrema con-
clusionis probandę ritę accommodare non poterit.

Non itaq; Rani stant opere impegitset, si, non jam
dicam, Aristotelem aut Philippum, sed quosvis alios
artifices imitatus fuisset, quorum nullus tunc demū
addiscere necesse habet, quomodo op⁹ suum formet,
quando materia operis sui jam p̄st̄ est, sed formā
ante cognitam materię oblatę citra omnem difficul-
tatem & remoram artificiose imprimit. Cæterum hēc
addu-

adduxisse sufficiat in genere de discrepancia ordinis
præceptorum logicorum, quem uterque; horum auto-
rum est secutus: Quæ enim ad dissonantiam ordinis
in specie pertinet, utpote quod aliter figuræ syllogi-
smorum, longè verò diversè locos Dialecticos, & alia
præcepta Ramus disposuerit quam Philippus, ea ne
quidem attingere sicet ob temporis, in quod conjecti
sumus, angustiam: Nonne verò auditores honoratissi-
mi, quotquot planè surdi non fuistis, ex hac tenus dictis
percipere potuistis dissonantiam penè intolerabilem,
nihil certè hinc deprehensum fuit consonum, nihil cō-
forme, nihil harmonicum, nisi forsan idem exordium
à definitione, in qua tamen ipsa, quantus utriusq; au-
toris sit dissensus, facilè demonstrari posset, nisi tem-
pori, quod magna ex parte effluxit, esset parcendum.
At in præceptis ipsis utriusq;, dicet quis vestrum, non
tām odio fam deprehendere licebit dissonantiam? Næ
majorem, & sic DEUM mihi propiciū habeam, mini-
mē dissimulandā. Audivistis Dn. Philippi præcepta
esse, artificiosè & penè indissolibili nexu copulata:
quibus insuper hoc laudis accedit, quod sint vera, utilia,
perspicua, & suo quævis loco disposita, nec solùm
tyronibus, sed etiam omnibus ijs, qui istiusmodi stu-
dio immorari nequeunt sufficientia. Nullum enim
ab ipso præceptum adductum est, cuius usum vel ipse
non protinus ad oculum demonstraret, vel unusquisq;
nostrum non cotidiè experiatur. De perspicuitate
non opus esse puto, ut quicquam dicatur, cum hujus
jam dudum ab omnibus perhibitus sit artifex primarius.
Quod verò singulis præceptis suam sedem assi-
gnarit, nec eadē invicem commiscuerit aut consu-
derit,

Collatio
præcepto-
rum Phi-
lippi.

Ranii.

derit, in propatulo esse judico. Cum enim sciret, aliud esse rem seorsim & per se considerare, aliud vero cum alterius respectu, primum considerationis modum egregie observavit in libris duobus prioribus, perpendens tam terminos simplices quam propositiones & earum accidentia, absq; mentione argumentationū, quarum postquam nudas formas in tertio tradiderat, totum librum quartum earundem materiae declarādæ destinavit, annexa seorsim appendice, in qua rationem aperit syllogismos vitiolos artificiosè dissolvēdi. Horum pleraq; cum Ramus vel non attingat, vel suo loco non pertractet, non video, qualis inter hos autores sanciri possit harmonia. Nam nec prædicabiliæ nec prædicamenta, multò minus fallacias seorsimi tractat: immò horum omnium ab eo mentionem fieri non debuisse commentatores ejus (commentatores dicere volebam) firmiter defendunt, propterea quod unā & eadem opera hæc omnia ab ipso satis abunde pertractata sint in inventionis locis, siquidem genus & speciem in loco distributionis, differentiam in oppositis, proprium & accidens in adjunctis explicuerit, fallaciarum vero doctrinam ex veris præcepis per se nullo negotio intelligi, ipsa autem prædicamenta, omni jure ab eo omissa esse, utpote quorum doctrina impingat in secundam ex aureis tribus legib. methodi, in quibus, quamvis ex Aristotele pessimè detortis, omne eruditioris illorum palmarium situm esse nō est obscurum. Quid vero est auditores præstantissimi camelum saltare, si hoc non est? quasi vero ibi possit esse aut ex cogirari ulla harmonia, ubi utrobiq; idem non traditur, immo, ubi, quod hoc vel illud si deliter sit tradit.

traditum, nec præteritum, odiose carpitur. Sed hæc
scilicet noctua deerat Athenis, atq; hic censor Philip-
po. Anne æquus? Minimè gentiū: Imò verò iniquissi-
mus. Ut enim brevitatis studio de prædicabilib⁹ nihil
dicam: quæ quo consilio à Philippo præmissa fuerint,
supra indicavimus, certè fallaciarum doctrina non
potuit nec debuit omitti. Sicut enim quælibet disciplina,
quæ utrumq; contrariorū pro subiecto habet,
non perfecta, censenda est, si unum saltem eorum tra-
dit, alterum verò ne quidem attingit: Ita quoq; Logi-
ca, cum circa omnē & sic tam verā quām falsam mate-
riam occupata sit, utriusq; naturam diligenter expli-
care debet, & quidem falsi eti magis, quod promptius
speciem veri induit, ne sub illo incautis imponatur,
hinc &ars medica si perfectè tradi debet, non tantum
de ratione componēdis salutaria medicamenta, sed & de
venenis tractare debet, ut vires eorum & species co-
gnoscatur, modus etiam sciatur, quomodo sanari de-
beat, cui hoc vel illud venenum est propinatum. Atq;
hac in re secutus est autor noster ipsum Philosophum
qui in priorib⁹ non solum de syllogismo, sed & de
vitij syllogismorum, in posterioribus non de Apodi-
ctico tantum sed & Apatetico, in Rhetoricis non de
veris falso, sed & de fucatis Enthymematis, in politicis
non de rectis tantum, sed & de depravatis rerum publ. for-
mis egit: Sed & Quintilianus tam de exordiorum quā
ipsius orationis vitij differuit, utpote cuius prima
virtus sit vitio carere. Vnde liquidò patet, neq; satis
esse, res in disciplinis doc̄is & indistincte tradi, alio-
qui sufficeret universalia saltem in disciplinis nosse:
neq; justè hanc doctrinam à Ramistis fuisse omissam,

C

utpote

Pro Falla-
cij.

pro Cate-
gorijs.

Philippus a
matoles-
tias
crimise li-
beratur.

Simile à
gramma-
tica.

ur potè qui inter confusam ac generalem, et inter
distinctam rerum notitiam adhuc distinguere nesci-
unt. Quia eadem & verè non minore injuria utuntur
in sugillando Dn. Philippo, quod licet categoriarum
& prædicabilium doctrina sit logica, eam tamen non
cittra *γνῶσις* crimen bis insuis præceptis proposu-
erit, utpote de genere ac specie, de connexis, videlicet
quando & ubi, in primo lib. agens, eademq. postea in
lib. quarto repetens. Sic scilicet uno calopodio omni-
um in posterū calciari poterunt pedes: quod id è sub-
jicio, quia mihi non dissimiles videntur hi Aristarchi
Momis istis, quib⁹ cum nihil succurreret, quod in for-
mosissimo Veneris corpore reprehēderent, sandaliū
eiusdem calumniabantur. Eodem modo & hi dum
veritati eo usq; cedere cogūtur, ut nihil habeāt, quod
in præceptis utilissimis desiderent, eadem semel saltē
inculcata cupiunt. Id verò fieri non posse illico ani-
madvertissent, si non designati fuissent inspicere for-
mulam præceptorum grammaticam, qua vel pueri
imbuti norunt, aliud esse docere de nomine & verbo
absolutè, aliud vero ostendere, quomodo nomen cū
verbo vel nomine construatur, id quod sit in syntaxi,
ubi sicut non amplius docetur, quid sit nomen & ver-
bum, quæq; eorum accidentia: hæc enim repetitio
foret & oriosa & odiosa, sed traduntur regulæ de com-
binatione nominis cum verbo & alijs orationis par-
tibus. Ita nec in 4. Philippi lib. demonstratur, quid sit
genus, quid species, & quotuplex, quid quando & ubi,
quæ sint eorū proprietates, sed monstratur quomodo
isti simplices termini, qui ante expositi fuerant, a-
cu jam componantur & quasi construantur cum
parti-

partibus conclusionis probanda. Vbi ergo est illa, auditores honoratissimi, tantopere decantata inter Philippum & Ramum præceptorum logicorum harmonia? anne symbolum aliquod an tesseram vel minimæ confessionis conspirationis ve? annon poti? sumnum opinionum & præceptorum divortium ex ha-
cenus dictis deprehendisti? Evidentius id ipsum in gratiam studiorum & quidem nullo negotio demō strarem, nisi habenda esset ratio & vestræ in audiendo me æquanimitatis & temporis mihi ad perorandum permisi, quod jam omne penè est elapsum. Videtis ipsi, vel me faciente, nullam inter hos autores esse posse harmoniā, cum hic alterius præcepta plurima ne quidē attigerit. Ut enim deprædicabilib⁹ prædicamentis & fallacijs non amplius dicā, nihil in Ramo tractatur de conditionib⁹ bonæ vel definitionis, vel divisionis, nihil de distinctionib⁹, nihil de propositionū accidentibus, nihil de syllogismi speciebus, nihil de modis figurarum, nihil de ratione probandi reducendiq; syllogismos, nihil de regulis aureis vel syllogisticis vel consequentiariū, nihil de maximis locorum, in quib⁹ tamen omnis argumentandi vis consistit, nihil in qua horum docet Ramus, non dicam, verbo uno, sed ne apice quidem: ac si quistyronum de his consulere cū voluerit, idem continget ei, quod Demiphoni apud comicum, qui ab advocatis, quos consuluerat, incertior quam ante revertebatur. Nonne, auditores omnium ordinum lectorissimi, egregij hi sunt λύγει λύπων ex hac lyra & symphonia Ramo-Philippica resultantes? Quod si quis missis præceptis exēpla utrobiq; perpēdere cupit, ibi iterum deprehendet plusquam dīc.

Omissa
nult. à
Ramo.

Diversitas
summa in
Exemplis
Plul ppi.

Ran i.

Arthur in
poemio.

πατοῦ hos autores dissonare. Philippº enim ad declaranda præcepta adhibet exempla ethica, physica, oratoria, Arithmetica, Geometrica, nonnulla etiam ex medicina & legum doctrina perita. In primis autem ex theologia tot videoas de prompta, ut penè ad eam solam digitum intendisse videatur. Vnde cunq; autem desumpta sunt, non sunt levia aut citra selectū adducta, sed ex ipsis visceribus disciplinarū hausta, & præceptis omni ex parte accommodata. Sunt ne hisce similia exempla Rami? Nullo modo: nam quod summopere mirandum, ne unumquidem exemplum adduxit theologicum, id quod à Logico ejusmodi, qui loco præceptorum ab impio Porphyrio & ethnico Aristotele traditorum pro Christianis logicam conscripsisse, seq; ad nostra tempora accommodasse videri voluit, non parum est alienum. Dialectices autem usum Poëtis saltem & Oratoribus metiri solitus est, qui tamen nec genera rerum propinquā, nec earū causas accurate perscrutantur, multò minus accidētia effectusq; rerum propriissimos indicant, sed vel ad plebis ex sensu viventis captum vel etiam ad affectus mōvendos omnes conatus dirigunt. Recte ne ergo putatis auditores leditissimi ab hujus paradoxi affecta quodā scriptum & in lucem divulgatum esse de horum duorum autorum libris logicis non inscire dici posse, quod de duabz Menandri comedijis, Andria scilicet & Perinthia, Terentius olim dixit: *Qui utramvis recte norit, ambas novet. Non ita dissimili sunt argumento, sed tamen dissimili oratione sunt fabae atq; sylo.* Ego verò puto etiā dissimilimo artificio & scopo, si enim artificiosissimum præceptorum Philippi ordinem,

dinem, si ipsorum præceptorum perspicuitatē & per-
fectionem, si eorundem p er exempla declarationē, si
deniq; initium & finem, medium & extrema cum al-
terius præceptorum ordine, perspicuitate & declarā-
di ratione contulisset, nihil, nihil inquā invenisset, &
alicuius harmonia umbram referat: Revera enim ita
dissident, ut citius aquam igni, lucem tenebris, erro-
rem veritati, coelum terrā conciliari posse autem.
Iste enim contra naturam, ex locis priūs argumentari
docet, quām constet, quomodo argumentatio sit con-
ficiēda: Hic verò utitur natura ordine congruo, fabri-
cam argumentationum inventioni præmittens: Iste
plurima & quidem utilissima præcepta non attingit:
hic verò nihil prætermittendo omnia solidè expli-
cat: Iste pleraq; consulē & obscurè: Hic distinctè &
perspicuè unumquodq; tradit: Iste usum præceptorū
parcissimè: Hic copiosissimè & quidem in rebus ma-
gni momenti evidenter demonstrat, quæ oninia adver-
sa partis assēclas non paucos edeagerint, ut hujus
harmonia palinodiam decātarint, dum eorum aliqui
asserere non dubitant, nihil in doctrina Philippi fir-
num & constans esse, nihil legitimè instrūtū: Petru-
Ramum autem suo loco hæc omnia proposuisse, quo
ipso quid aliud quām dissonantiam utriusq; summa
inculcant? Quidā verò usū & necessitate edicti cūm
prædicamenta tūc elēnchos præceptis suis adjiciunt
& sic logicæ arti possimini restituunt. Atq; ita lucu-
lenter demonstratum esse arbitror, in cassum hacten
ab ijs laboratum esse, quotquot harmoniam præ-
ceptorum logicorū inter Philippum & Ramum stabi-
lire, eamq; tyronum animis inculcare ausi fuerint, ex

A' raxspa-
λαύσις.
collationis
totius.

Epilogus.

ORATIO.

20

quo si nihil aliud, hoc tamē mihi consecuti videntur adolescentes ingenui, ne in posterum hujusmodi harmonijs tanquam Sirenum cantib⁹ se capi patientur, neve quibusvis scriptoribus promiscue fidē habeant, sed adunius cuiusq; letationem, veritatis amore & iudicium afferant, aut, si ipsi de scriptoribus ob ætatis & judicij immaturitatē dextrè judicare nequeunt, præceptores suos hac de re consulant, eorumq; admonitionibus salutaribus locum relinquant, sic enim à virtutis & eruditionis tramite non aberrabunt.

In quo cum gnaviter ab incunte ætate percurrenti in medium producti candidati, ijq; superioribus diebus tam in privata quam publica censurā acris & severa, mediocriter nobis & Dn. professoribus publicis hanc ad rem adhibitis suam probārint industria & indefessum diligentia studium animorūq; ad altiora alacritatem, utiq; contentientibus suffragiis digni judicati fuerunt, quibus hodierno die insolēni hac festivitate magisterij titulus conferretur. Vbi, sic ut ab initio aggratulatus sum toti Academiæ de frequentia promotionum solennium in hoc præsentis semestri. Ita hunc præsentium candidatorum coetum intuens, non possum non ex animo gratulari in clitæ nostræ communitati studij optimarum artium de tanta incrementi honorum accessione, quantam non paucis proximis annis non est experta. Nequaquam tamen in admissione tot candidatorum aberrasse mecum collegas meos viros præstantissimos firmiter statuo: propterea quod quidam candidatorum jam pridē cooperint utiliter intervire Ecclesiæ Christi: Non nulli vero in altera superiori disciplina, juris scilicet,

ita

Regressus
ad candi-
datos.

ita feliciter sint verlati, ut, quandoquidem & illius facultatis statutis jam omni ex parte satis factum est, propediem non minori cum aggratulatione omnium bonorum summæ laureæ licentia, DEO dante, sint condecorandi, ceteri vero & nunc cum non parva fruge, si ita res & occasio ferrent, Ecclesia & reipublicæ literariæ utiles esse possint, omnes deniq; præclaram defensionem excitarent, fore, ut dignitate hac ceu calcari quodam instigati, deinceps generosorum equorum instar fortius eant, cursumq; feliciter cœptum ad operatā usq; metam, urgere non desistant: Utq; hoc fideliter faciant, coronidis loco eos paternè hic publicè admonitos volo, qui unicè hactenus eò laboravi, ut tandem singuli voti sui compotes reddantur. Atq; ut citra ulteriorem moram id decenter expediatur, ego
VVolfgangus Corvinus Medicina Licentiatuſ & artis differendi professor publicus, Reverendissimi & Generosissimi Principis ac Domini, Domini IOHANNIS GEORGII Duci Saxonie & Episcopalis Ecclesiae Martisburgensis postulati Administratoris, ac Cancellarij Academiæ hujus unici dignissimiq; loco & vice, qua constitutus sum & quam gero delegatione benignissima ab Illustrissima ejus excelsitate mihi facta, hoc judicium nostrum de te-

Commen-
datio can-
didatorum

1. SIGISMUND O Finckeltaus Lipsensi.
2. VALENTINO Bergero Lipsico meo privigno.
3. NICOLAO Hartman Lipsensi.
4. CASPARO Gaußbrey Temarensi.
5. MICHAEL REISIGER Alteburgensi.
6. IOHANNE Bierer Ellerano.
7. MICHAEL HAUBOLD Hainensi.
8. IACOBO ANDREA Graul Lipsensi.
9. LAURENTIO VVechtler Grimmenſi.

10. FRI.

ORATIO.

10. FRIDERICO Mauritio Grimmensi.
11. MICHAEL Blau Cizensi.
12. JOSEPHO VVinkelman Olsnicensi.
13. IOHANNE Fechnero Glogoviensi.
14. DANIELE Fristo Lipsensi.
15. IOHANNE Threinero Sangerhusano,
16. IOHANNE Arithmæo Lignicensi.
17. IOHANNE Steinmetz Lipsico,
18. BLASIO Colero Coldicensi.
19. GEORGIO Cleto Radebergensi.
20. IOHANNE VVüfteman Denstataensi.
21. IOHANNE Scheffer Salzensti.
22. PHILIPPO IACOBUS Lindner Numburgensi.
23. CHRISTOPHORO Carolo Nivemontano.
24. BENEDICTO Oheim Steinensti.
25. ANDREA Lindemann Islebiensi, Pastore Ecclesie
Dei in Alsdorff & Zigelroda.
26. Detedeniq; PETRO VVeitzke Brandenburgensi.

Hoc in qua laudatissimæ communitatris studij optimarum artium judicium de vobis universis ac singulis jam nominatis viginti sex publicè in hoc honestissimo confessu declaro, & autoritate qua fungor clementissime mihi delegata atq; commissa, potestatē facio atq; concedo spectatæ dignitatis & eruditioñis viro Dn. Decano collegij Philosophici, cui hæc provincia solennis renunciationis peculiariter incumbit, ut vos optimarum artium ac disciplinarū atq; Philosophiae Magistros ac Doctores faciat, creet, factosq; ac creatos publicè renunciet, cum collatione potestatis docēdi, jurisq; & privilegiorum omnium, quibus more & cōsuetudine hujus Academiae uti frui gaudereq; solet ordo illorū qui optimarū artiū Magistri & lunt & prohibetur, in nomine unius, veri, iusti, præpotentis, misericordis & benigni Dei, æterni Patris, Filii & Spiritus sancti, Amen.

FINIS.

Gb 777. I

o8



5b.

TESTAMENTO RELICITS.
BIBLIOTHECA ACAD. FRIEDRICHIANAE
STATVS INTIM, certi,
S. REG. MAI. BORVVS. CONSILARIJ
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
DN. DAN. LVDOLPHI,
ILLUSTRISMI VIRI,
EX LIBRIS

VDT

144


In plenioribus singuliris imo celestis hominis filia



monies libet amata & amato lumen
foliis ruficentia ut de regione lutea
genua. **H**oc die caligine pulcherrima
flora populi in & dum parvis oblitera
fama laudat punitum inicitata sed igne
marcit alii colimata. **H**inc rem corollis
per se & rufipetala eius conspicuerat
punctum quoque exterius amplectus &
cuius cedetis paternitatem & reuteretur
enim illi in unam illi & illa subiecta
bos olei bionio rubeo dederunt.
Acceptra canthone lacrimosum
luctu ut liquuisse & promeruit
cille filii. **G**ic multa in retinaculis et
rea **G**loria a suis erat. **S**icma
recepit bionio rubeo dederunt.
bos olei bionio rubeo dederunt.
aqae eti delectantur. **H**ic cum ilium cui male
vis recedit. **H**ic cum ilium cui male
vis recedit.

Cons dñi punico
nun erbitum translatum
cibus qd enim militia
causae concrebali:
in eius micractum
mutilos manib; qui nec
in eis nec eam
inclusis ut quibus palli
mutilos manib; qui nec
in eis micractum
mutilos manib; qui nec
inclusis ut quibus palli
is quoniam notari
de locarum eius
militis martyrum in
hunc te insperante &
tuppli c in te puplica
illa tamen ducheinus
cibetauerunt. **C**olla.
Tunc martyris omni
is quoniam notari
de locarum eius
militis martyrum in
hunc te insperante &
tuppli c in te puplica
illa tamen ducheinus
cibetauerunt. **C**olla.
Dua conditio
Secundum goria lacri
bonam martyrum in
as duas festa cele
autem ieiunia p
tibor. **A**d Sippe
tibor.

Farbkarte #13



B.I.G.

NTIA
LIPPO-

s,

declarandos
tisex,

[N] O Med.

ess.

incellary.

O

Lambergi.